

Lc
1715

XIII, 33.

#3743.

7460

III.743.


SIMONIS
LEMNII EPI-
grammaton.

LIBRI DVO.

VITEBERGÆ.

1538.

S VI



AD REVERENDISSIMUM ET
ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM
ac Dominum, Dominum Albertum, Ecclesie
Rhomanae Cardinalem, Principem Electo= =
rem, Archiepiscopū Moguntinum, ac
Magdeburgensem, præsulum Germaniae
primatem, Administratorem
Halberstatensem. Marchionē
Brandenburgensem, Burg
grauium Noribergensem Oct.

S. Lemnij,
EPIGRAMMATON.
LIBER .I.

Hoc tibi Palladias Princeps exculte per artes,
Qui legeris ueteres maximus inter auos.
Cuius nobilitas clara uirtute nitescit,
Tu licet hac longe clarior esse potes.
Siue Salae præsens per amnis uteris aruis.
Hinc et opes cernis, cernis et inde tuas,
Seu uos uestra tenet celebris Moguntia Musis,
Maxima qua Rheno precipitatur aqua.

A 2 Seu places

S. L E M N I I.

Seu placet urbs teneris cui nomina nota puellis
Ætas prisca dedit Partheniumq; uocat.
Seu te alibi nitidis Rhenus delectat arenis,
Siue peregrinis candidus Albis aquis.
Mittimus o felix Princeps Alberte camenis
Sospite quo placidas esse putamus aquas,
Quas inter recinit sacro Permeside Phœbus,
Quas bibit Aonidum Pieridumq; cohors
Tu modo si capies ego te legisse putabo
Incedamq; hilaris credulitate mea.

A D L E C T O R E S.

Turpia qui nostro speratis scripta libello
Quæ uobis spes hic pectora fallat erit.
Ista uerecundo præmisi carmina uersu.
Quæ legat Albertus cum libet illa sibi.
Vel legat illa suis inter conuiua mensis
Inter prudentes uel legat illa uiros.
Scilicet ut Domino uolumus liber iste iocetur,
Proferat et uersus iste pudore suos.
Nempe quod huic librum domino sacrauimus istū.
Casta igitur si quis, qui legit, ista legat.
Et legat ista puer castus castæq; puellæ,
Nymphaq; quæ tantum scripta pudica legit.
Scomata qui cupiet semper, uersusq; procaces,
Et quem de Nymphis salsaq; scripta iuuant.
Lascivos

L I B. I.

Lasciuos moneo tantum legat ille libellos,
Quos ego post istos forte daturus ero.

AD CHRISTOPHORVM TVR^E
cum Cancellariū Prin. Alberti Cardi. &c.

Turce Palatinæ cultor facunde Mineruæ,
Turce Palatini gloria prima chori.

Curaq; sanctarum dignissima principe legum,
O & Teutonici lausq; decusq; fori.

Ad sacra tu sanctæ si limina miseric aulæ,
Lemnius Aonium quod tibi mittit opus.

Tunc tibi uenturos precor ut fœliciter annos,
Qui tenet astra poli, præbeat ille tibi.

Et tibi sint magni penetralia plena fauoris,
Et tibi sint domino tecta beata suo.

Principis ista quidem cum noueris ora sereni,
Aptaq; dum fandi tempora forte putas,
Cum fulget placido Domini clementia uultu,
Quo nihil Aonio denegat illa choro.

Tum precor ipse uelis nostros offerre libellos,
Accipiet placida carmina nostra manu.

Ille nouem fautor si dicitur eis sororum,
Semper & Aoniæ pars studioſa lyrae

A A G. SABINVM POETAM.

Candida Thespianum Musarum fama Sabine
Cui decora i; meritas laurea ferta comes.

A 3 Emisi

S. L E M N I I.

Emisi tandem uix binos, tres ué libellos,
Carmina iudicio lecta Sabine suo.
Emissurus eram tum cum bis quinq; libellos,
Tres mihi dixisti si potes edc libros.
Pauca tuo Domino sed quæ placitura putabam
Carmina, forsan erit cum tibi plura dabo.
Sit locus ergo libris quadam sed parte duobus,
Istos non dederit Bilbilis ipsa licet,
Nec uolo me ponas fuerat qua Marsus, & ille,
Quem dederas celebri flumine culte Salo.
Aut qua sede Pedo fuerat liberq; Catullus,
Aut qua se iactat non minor Euritius.
Subsequar hos saltē sequitur ceu corporis umbra,
Carmine sic fucrint premia digna meo.

A D PRINCIPEM ALBERTVM.

Principis aduentu lætatur & accola Rheni,
Lætior asuetis surgit & ipse uadis.
Attonitus terræ uiso modo præside Rhenus
Affatus Dominum dicitur esse suum.
Sors mea iam melior cui tam prope cernere phas est,
Lumina lætantis Principis ista mei.
Saxonicisq; Salæ iam sum felicior aruis,
Tam prope qui uideo, quem colit ille procul.
Iam mihi iam liceat cunctis excurrere Nymphis,
Sit mihi festiuo maxima pompa pede.

Expectato

L I B. I.

Expectate meas tandem cum uideris undas,
Veneris & populo spesq; salusq; tuo.
Nate ducum salue ueterum de stirpe propago,
Salue Pieridum spes quoq; magna Deum.
Cui seruare datum cum relligione uetus,
Et ueteres leges, & pia sacra patrum.
Sit tuus aduentus foelix sit & omne fausto,
Quod statuis summi relligione Dei.

D E P A S C A T E.

Festa dies uenit uirides date gramine flores,
Et festos festa spargite fronde lares.
Templa Deum festis stent undiq; cincta coronis,
Et nitidos tangant iubila leta polos.
Festa dies uenit qua Christus ab æthere missus
De Phlegetontæa signa reuexit aqua.
Postquam Tænarium Plutonia regna paludem,
Et triplicis uicit guttura seu canis.
Cocytioq; sinus, superatq; Acherontidas undas,
Mersa est in medijs flammæa cymba uadis.
De uicto uictor latus Plutone triumphat,
Mortiferas luget Persephonæa comas.
Quam non Ægidæ comes, Ægidesq; reduxit,
Nec tulit Herculeus tanta tropheæ labor.
Nec sic oppressæ uictor Babylonis abibat,
Pro qua nec Persis vulnera tanta tulit.

A 4 Nec sic

S. L E M N I I.

Nec sic Pompeis lætatur Rhoma triumphis,
Nec talis fuso principe Cæsar erat,
Qualis erat nigro rediuius uictor ab orco,
Et Stygos extincta Christus ouabat aqua.
Promissam retulit domito Plutone salutem,
Fixit et inferna capta trophea plaga.
Iuppiter est nostro uix tandem cognitus æuo,
Iuppiter est terre, Iuppiter estq; poli.
Rector et undarum pariter qui condidit illas,
Scilicet hunc fecit fabula nulla iouem.

A D H E N R I C V M A B B A T E M

Zinnensem.

Abbas magnarum fama non ultime rerum,
Abbas castalijs spes modo nota uiris.
Turpia dum recitas inimici furta ministri,
Et facis ad tēpidos uerba diserta focos.
Nobiscumq; agitas positis coniuia mensis,
Sustinuit lautas splendida mensa dapes.
Et tibi tot pisces dederant tua stagna per arua,
Quæ refluunt pratis more perennis aquæ.
Ionio tumidus quot mittit ab æquore fluctus,
Quotq; dabat tunc cum stagna Neronis erant.

A D M V S A M.

Incipe Musa precor lætis excurrere campis,
Incipe uer flores læta per arua tulit.

Incipit

L I B. I.

Incipe Musa precor modulatur gramine pastores,
Sicanios edit fistula blanda modos.

Incipe respondet querula Philomela sorori,
Et solito Tercus carmine deflet Ityn.

Densantur uirides nemerosa per auia frondes,
Pictaque sub ramis carmina cantat avis.

Nunc pecora, & latis armenta iocantur in artuis,
Et uitreas circum gurgite mergus aquas.

Hinnit equae quadrupes admugit buccula cauro,
Adluditque suo foemina quaeque viro.

Nunc petulans hædus, uitulusque exultat in herba,
Gaudet & assueto pulchra puella choro.

Tu quoque nobiscum fœlix modo Musa iocare.
Ipsa scias lætos nempe referre iocos.

Quicquid habes igitur nostris nunc Musa libellis,
Profer, & exhilara, si qua referre iuuat.

Omnia lætantur, princeps lætatur, & inter
Coniuias animo liberiore sedet.

Cernat ut in nostris tum si qua iocosa camenis,
Et uideat dictis liberiora suis.

Qua tamen ille uidet Mimos, hominesque iocosos,
Illa fronte simul carmina nostra leget.

IN THELESINVUM.

Sæpe tuas ueniam me inuitas hospes in ædes,
Nempe legas nugas ut Thelētine tuas.

A s Vix posui

S. L E M N I I.

Vix posui tunicas, affertur protinus ingens
Ille Stagyritæ quem legis usq; liber.
Grande sophos clamas, maculas & margine chartas,
Volue Stagyriten dicis & ipse senem.
Multaq; dum recitas, & quintum deniq; librum,
Tu mihi Cisternæ nil nisi ponis aquas.
Quod si non uino scelerata sophismata dones,
Dices fornaci uerba diserta tue.

A D V V L C A N V M.

Quid Vulcane tuis misces incendia flammis,
Parce Venus coniunx te patienter amet.
Ignoscatq; tibi fraudes, tenuesq; catenas,
Belligeriq; tibi desinat ira ducis.

A D M A N N E I V M.

Articulo uarias Manneius Iaspidas uno
Portat, & est gemmis ultraq; culta manus.
Scis cur hoc fasiat bellus uult esse magister,
Et propter gemmas doctior esse suas.

A D S T I G E L I V M.

Maxima Pierijs dudum pars addita Musis,
Cuius Pegasea pectora uoce madent.
Dulcia Callistus nec miscet uina falerni,
Nec thalamis lectos digerit ille decem.

Nec me

L I B . I.

Nec me ponentem numerosa numismata terret,
Nec sequitur tunicis Alcinus ipse meis.
Et mihi non ullo crinis pinguescit amomo,
Nec mihi lassantur tempora cincta rosa.
Est mihi libertas tamem, est mihi flamma puellæ,
Hæc modo non fallat, sat mihi diues ero.

A D T H E L E S I N V M.

Sibene de nostris sentis Thelesine libellis .
Hæc eme nunc, post hac sed tibi plura dabo.
Sin male de nostris sentis Thelesine libellis,
Nec lege quæ feci, nec lege quæ faciam.

A D P O E T A M M A N N E I V M.

Admiror, stupeco paruum Manneie poema,
Quod tibi iam pridem regia dona tulit.
Ipsa tuo cedent Nasonis carmina libro,
Ipse tuo cedet Regulus ingenio.
Iure doles igitur preferri carmina uatis ,
Dicitur Hebraica qui cecinisse lyra.

A D P R A S S I N V M.

Rustica si nescis quæ gramina colligit hortis,
Illa est pictoris serua, sed apta tibi.
Densa est, & pinguis, rudis, indigestaque moles,
Hanc bene si uidcas, dixeris eisse globum.

Ad

S. LEMNII.

AD AQVARIVM.

*Cur mihi ponis aquam non sum coniuua Rauenne,
Pluris ubi dulci uenditur unda mero.
Aut puto quod uobis potus uendatur aquosus,
Aut fluuij potius frigida forsan aqua.
An quod sis idem sis potus aquarius idem,
Nomen habes undis dum tibi fundis aquas.*

DE MVRE.

*Dum spectat proprij ridens incendia tecti
Rusticus, incensas & uidet igne casas.
Mus fugit ardentes extra penetralia nidos,
Rusticus hunc celeri corripit ipse manu.
Mecum dixit eras rebus scelerate secundis,
Et nunc extremis me fugis ipse malis.
Sic ait, & murem medios proiecit in ignes,
Hæc sit perfidie pena reperta tua.
Quod si punitur seu mus perfidus igne,
Que manet ingratos dic mihi pena uiros.*

AD NYSAM C.

*Tu tibi multa dari simplex dum munera poscis,
Simplicius possum Nysa negare tibi.*

IN MACRIAM,

DUMS

L I B. I.

Dum genus & proauos recitas, & patria teftas,
Dum uis obscura nobilis esse domo.
Dum tibi Pieria contemnitur arte magister,
Dum tibi causidicus sordida conditio est.
Dum te posse negas equiti nisi nubere magno,
Nupsisti tandem Macria ciftifero,
Ille nec est doctus sponsus, nec nobilis ille est,
Conueniet sponjae scilicet ille suae.

IN MYDAM.

Extent marmoreis tibi splendida tecta columnis,
Et tibi uel Venetas arca recondat opes.
Aurifer & nitidis tibi seruiat Albis arenis,
Seruiat & culti plurima glcba soli.
Multaq; florentes pascant armenta per agros,
Tondeat & teneros rustica uilla greges.
Es tamen indoctus, ridest es rusticus idem,
Id quod es ē uulgo quilibet esse potest.

IN MEDICVM FACVNNDVM.

Languebat celsa furiosus regulus arce,
Cui medicus dixit, est tibi nulla febris.
Credidit & post hac febrim non senserat eger,
Nulla fuit subito quæ modo febris erat.
Suaserat ille uiro, sed non sanauerat ille,
Orator medicus sic fuit ille febris.

Ad

S. L E M N I L

AD HESTIAM ARCEM PRIN-
cipis Alberti Cardinalis &c.

Hestia quæ fumas gelidas prope consita ripas,
Quā procul herbarum mollia prata nitent,
Quam bene uitiferos circumspicis ardua colles,
Qui tibi dant pleno musta bibenda lacu.
Vix tibi tot præbent cultissima Gargara messes,
Quot nutrit segetes Hestia terra tibi.
Quas ibi Populea tibi cingit fronde sinistra,
Præfluit à dextra cœrulus amnis aqua.
Te lauat & puris Mœnus qui præterit undis,
Et scopulus ualidas arcet adesus aquas.
Vnde tuus Princeps florentia prospicit arua,
Gaudia luminibus subiicit unde suis.
Illic sylua, sed hic uirides in gramine flores,
Vitibus inde iacet uinea lata suis.
Nec iuuisse puto tantum sua stagna Neronem,
Hæc fuerint quamquām pisce natata suo.
Nec sic in celsa tam culta palatia rupe,
Vnde suos conchis uiderat ipse lacus.
Nunc taceant arces, taceant & stagna Neronis,
Hestia nimirum nobile uincit opus.

Ad Episcopos

L I B . I.

AD PRINCIPEM ALBERTVM
Cardinalem &c.

Hoc ego confiteor uere tibi maxime Princeps,
Temporibus cœdunt secula multa tuis.
Secula multa suos constat risisse poetas,
Fama tamen sub te floruit ista diu.
Dum tenuit dominam foelix Germania Rhomam,
Pressit & Ausonias cœsar, & illa manus.
Extitit Arctoo solus Lygurinus in orbe,
Si nescis alios secla tulere tua.
Quos tua sustinuit princeps clementia uates,
Principe te licuit toto Helicone frui.
Quando magis dignos licuit spectare poetas,
Quando magis patriæ est gens celebrata tua.
Doctior & maior quando Germanica pubes,
Sub te nimirum principe tanta fuit.
Hoc uitium quanquam sit non leue, sed tamen unum,
Quod premitur uarijs Teutonis ora malis.
Sustinuit toties tantos quæ pressa tumultus,
Quæq; cadit toties non cecidisse potest.

AD G. S A B I N V M .

Pegaseos inter uates ó maxime uatum,
Inter Pierias nate Sabine Deas.
Ne fuge Castalios cantusq; chorosq; sororum,
Docta nec Aonie desere plectra lyre.
Quod

S. L E M N I I.

Quod petis à Phœbo, Phœbus tibi largius illud
Præbet, & uberioris suggerit ille tibi.
Et tibi dant hederæ fariam, nomenq; perenne,
Et fugis his rapidos nocte Sabine rogos.
Hæc dat aquas Helicon, hæc serta, lyrasq; Dcarum,
Quæ facunda tibi Musa Sabine dedit.
Hæc tibi magnarum rerum cognoscere causas,
Hæc dedit immensi signa uidere poli.
Hæc dedit ingenium, dedit artes Musa Poëtis,
E populo nulli talia dona dedit.
Non hoc auriferis Pactolus diues arenis
Non hoc terribilis pectori miles erit.
Ergo quid obiciunt mendacia uana Poëtis,
Mæonides magnas ipse reliquit opes.

I N C O E C I L I A N V M.

Magna est rusticitas, si quid deprendis in orbe,
Quod facit ad lautam Cœciliæ gulam.
Non alijs etiam præbes, es rusticus ergo,
Nempe alas solus Cœciliæ uoras.
An tu forte putas q; quæ modo sunt bona semper,
Conueniant uentri Cœciliæ tuo.
Si sic forte putas & uis bona cuncta uorare,
Conueniet uentri lancea nostratuo.

D E C V C V L O I V N O

nis Corinthie,

Vrbs

1010

L I B. I.

Vrbs est Argiuis procul hinc notissima terris,
Qua sacer & quoreis iungitur Istmus aquis.
Hic uetus est nuptae lunonis sculpta columnas,
Qui libet hoc media marmor in urbe legit.
Quo stat regali Saturnia leta corona.
Sed gerit huic charitas sculpta corona Deas.
Parte alia currunt spacijs & equalibus horæ,
Et pomum leua porrigit illa manu.
Dextra tenet celsa sceptrum porrecta columnas,
Veris ab hoc Cuculus nuntia pendet avis.
Hoc erat extremo ductum quoq; marmore carmen,
Cur properas nondum uerba uiator habes.
Paulisper mancas, paucis enigmata nosces,
Lucida uerba putes res latet ipsa tamen.
Iuno tibi monstrat nuptam redimita corona,
Sed Charites referunt ora uenusta Dce.
Tempora designant spatijs & equalibus horæ,
Conueniet licito florida nupta thoro.
Suntq; thori fructus genialis poma sinistre,
Efficiat patrem formina prole uirum.
Illa tenens sceptrum media dominatur in aula,
Arbitrio leges ponit & illa suo.
Illa ceu Cuculus pendet de fronde maritus,
Imperat & stulto pulchra marita uiro.
Ut trahit unda ratem, mollem trahit illa maritum,
Nauta regt naues, arte marita hiros.

B

Ad

S. L E M N I I.

AD LECTOREM.

Quidam præteriit statuam Iunonis in urbe,
Fecit & Arguæ uerba notata Dce.
Hæc quoq; de magna fertur dixisse columnæ,
Verba sed inscripsit talia posteritas.

DE STATVA IVNONIS
Corinthie.

O statuae regina tuae, qua celsa Corinthos
Gaudet, conspicui gloria magna fori.
Cum tua tot diuis ornetur pulchra ministris,
Dic cur hæc tibi sit diua corona rogo.
Quid sceptrum facit in dextra, quid poma sinistra,
Et Cuculus sceptro cur sedet iste tuo.
Num fugit inuisas huc ad tua sceptra uolucres,
An sedet hic læti nuntia ueris auiss?
Quicumq; es, qui sic intelligis ista uiator,
Quod scriptum est infra, perlege carmen ait.

INFRA IN STATVA.

Sum regina poli sum magni nupta Tonantis,
Sed nuptam refero quamlibet ipsa tibi.
Sublimi q; horas gesto, Charitas q; corona,
Sunt Charites nuptæ forma, decus q; tuae.

Esse

L I B. I.

Esse docent horæ sociam florentibus annis,
Denotat hinc ponum pignora chara thori.
Dextra tenet sceptrum, sceptrum gerit ipsa marita,
Et gaudet leges imposuisse uiro.
Omnia habes ridens inquit discede uiator,
Tunc ego quid cuculum significare putem.
Illa ait a tergo niueo stat marmore carmen,
Hoc lege, & ignarus non mihi lector eris.

P O S T S T A T V A M.

Sum cuculus dominæ sceptro super ipse maritæ,
Me mouet in sceptro quolibet ipsa suo.
Me sibi me cuculum sibi me facit esse maritum,
Sum cuculus dominæ, stultus & ipse mea.
Cernito quid faciat coniunx formosa marito,
Sic cculos magnos quæ facit esse uiros.
Discessurus eram ridens, cum forte uiderem,
Inferius scriptum quod breue carmen erat.

I N F E R I V S P O S T S T A T V A M.

Sed tamen hoc nimium lector ridere cauet,
In tacito ride si sapis ipse sinu.
Ne tibi per tunicas insigat rostra lacertis,
Qui sedet hic cuculus. sed bene cautus eris.
Quamuis sit cuculus dominæ, tamen ille uidcri
Vult sapiens, domina nec minor esse sua

B 2 Ad

S. L E M N I I.

A D A M O R E M.

Cogis amor luscias recte uidisse puellas,

Cogis amor luscios ipse uidere viros.

Quid non cernis amor, quid non uidistis amantes.

Non es cecus amor dum bene cernis amor.

Quodsi pictor ero pingam tibi lumina certe,

Tam bene cum uidcas, non bene cœcūs eris.

D E M O G V N T I A.

Sol abit ē tauro, sed proxima signa rubescunt,

Et phaetonteis illa uidentur equis.

Miscet ager segetes, & uiscent prata colores,

Iamq; nemus floret, pictaq; floret humus.

Stant etiam lēta uirides super arbore frondes,

Ipsa super ramis undiq; cantat avis.

Ascenditq; polos semper philomela canendo,

Dumq; canit rursus decidit illa polo.

Plorat Ityn Progne, syluis ploratur Adonis,

Et dolet in uiridi cespite mœsta Venus.

Preterit undanti Moguntia mœnia fluctu

Renus, & in medijsille iocatur aquis.

Ripa dat hinc illi uarios in gramine floris,

Ast nitidas illinc respicit illa casas;

Quos

Quos nunc Rhene dics, qualem quoq; Rhene Salinis
 Eripis. O soles, o tunicata quies.
O fontes Rheni, solidumq; madentis arenæ
 Littus, & o fluvio candide Moge tuo.
Quam fælix domini nunc es spectator ad undas,
 Læticiam tanti cernis & ora uiri.
Sed nec sic Tybris, nec uidit Rhoma nepotes,
 Hic ubi diuisas insula rumpit aquas.
Non adeo festa Tarpeia templa corona
 In Capitolino cincta fuere iugo.
Quam nunc fronde tegit totam delubra per urbem,
 Cum populus dominum uidit adesse suum.

AD PRIN. ALBERTVM CARDI. &c.

Inter preclaros proceres clarissime præsul
 Principibus patriæ non renuende tuæ.
Si tibi dat uulgas querulos in fronte libellos,
 Nos etiam domino scripta iocosa damus.
Carmina parua damus sed quæ placitura putamus,
 Sed quam parua tibi tam quoq; grata tibi.
Te puto quod possis rebus, Musisq; uacare,
 Quod placeant Phœbi laurca sertatibi.
Fer uates Alberte tuos, nec spernito Musas,
 Sis quoq; Maeonij pars studiosa chori.
Prouenit ista tibi si nescis fama Poetis,
 Post cineres stabit gloria nempe tuos.

S. LEMNII.

Sit tibi pieridum sed non postrema uoluptas,
Sint tibi cura prior, delitiæq; tuæ.
Non quercus ie sola decet, sed laurus, & unda
Vnda Medusæi fontis, & illa Dei.

AD G. SABINVM.

Quam bene iam toto nomen patet orbe Sabinus,
Heredem bene res repperit ista suum.
Cantatas uiguit fœlix Heroidas inter,
Qui toto celebris orbe Sabinus erat.
Alter ades rursus preclare Sabine poeta.
Nempe quod Aoniae est cultor uterq; lyrae.
Alter Cæsarea nimirum laude triumphat,
Alter & Heroidum carmina culta dedit.
Sed tamen est quo tu maiori laude feraris,
Et quo tam doctum nomen habere queas.
Diceris ingenij propria uirtute Sabinus.
Alter de patria gente Sabinus erat.

AD CARDVELEM.

Nimirum sc̄ntis festiuo carmine festum,
Cui nomen fecit Carduus asper auis.
Ante quiescebas, & carmina nulla canebas.
Nunc tu non solito carmine festa colis.
Festa quibus Christus stygia rediuius ab unda
Venerat ablata spesq; falusq; luc.

Deq; fero

L I B. I.

Deq; feropartis uictor Plutone triumphis,
Vectus erat niucis non moriturus e quis.
Sensus inest auibus, cum senserit ista uolucris,
Nempe creatorem laudat & illa suum.

DE PISCE IN CALICE.

Artis phidiacæ labor putatur.
Piscis qui calicis uidetur imo,
Nam si uina dabis natabit ille,
Si siccas calicem bibens falernum,
Ceu pisces medijs, iacent arcnis,
Si qui sunt male forte destituti,
Sic piscis calicis uidetur imo.
Artis phidiacæ labor celebris.

A D. A. A.

Ducere te malleum, sed si tamen Anna negabis,
Pontia post Annam proxima nempe foret.
Extremo est Ancilla loco, quam non ego dicam,
Hæ pro me facerent, cetera turba uale.

IN AEREM.

Rugata toties relegis quod fronte tabellas,
Et tua quod sentit ianua saepe pedes.
Quodq; domi non es, latitas cum tum tamen intus,
Clauderis & thalamo turpiter ipse tuo.

B 4 Nimirum

S. LEMNII.

Nimirum uacui tibi quod sint ære locelli,
Millia quod centum non tribuisse potes.
Millia consumis, dum tu sponsalia natæ
Omnia corradens splendidus urbe facis.
Credidit hic centum, sed millia credidit ille.
Si potes & genro iam tria credi tuo.
Quam bene conueniens tibi uenit ab aere nomen,
Acrius uacua sic potes esse domo.
Aceres & uendis circum palatia fumos,
Acra nunc uendis post modo uentus eris.
Millia tu centum debes, sed soluere centum
Non potes, at nummos acrc solue tuos.

DE STIFELIO.

Dixerat Astrologus uentura suprema per orbem,
Quo uentura essent dixerat ille die.
Hic quibus Astrologus sed tunc habitauit in aruis,
Tempore nactus erat quam cupit ipse fidem.
Quod cito casurus sit mundus disserit ille.
Inde quibus numeris se tueatur habet.
Tum pecudes uendit, tum uenit & arua colonus,
Hicq; greges uendit, uenidit ille boues.
Quilibet ut metuit ne quid post fata relinquat.
Exhausit patrias luxuriosus opes.
Illa dies uenit qua dixerat esse futurum,
Qui casurus erat, firmior orbis erat.

Dic

L I B . I.

Dic mihi num uere predixerit ille supremae
Non puto mentitus dixerat ille tamen.
Huic suprema quidem uere predixerat ille,
Hausit qui patrias luxuriosus opes.
Qui uenit ad summum, num sunt huic uera supremae,
Dic mihi non est hoc summa uenire cito?

A D L U C R E T I A M.

Candida cur saeuo configis pectora ferro,
Regi debentur crimina nulla tibi.
Ipsa repugnabas quantum modo fæmina pugnat.
Pectora sed uincit casta libido tua.
Vis est facta tibi, sed mens tibi casta remansit,
Hanc tua mens poenam non meruisse potest.

A D R H E N V M.

Principium des Rhene licet uelocibus undis,
Et reuoces cursu stagna lacusq; tuo.
Teutonidum quamuis fluuius regnator aquarum
Diceris, et reliquos uincere Rhene potes.
Flumina te primum dicunt, dominumq; salutant,
Te colit omnis humus, te colit omnis ager.
Tu tamen hoc manis uestrae quod contigit urbi,
Albertum ad rippas posse uidere tuas.

B s In Theos

S. LEMNII.

IN THEOBALDV M DAMERV M.

Nescio quid de te nobis Theobalde fateris,
Scripta Stagyritæ dum legis ista senis.
Grande sophos clamas, & cunctos uoce fatigis,
Quæq; legis tecum, dicis & illa foris.
A lepidis aufer scelerata sophismata mensis,
Nempe tibi dicit quilibet ista, tace.

IN PICROGAMV M.

Picrogamus charas effert persæpe maritas,
Funereasq; thori concutit ille faces.
An ne quod uxorum nimio capiatur amore?
Iam scis cur nuptas efferat ille suas.

AD. GALATHEAM.

Me Galathea mones, tandem tibi munera mittam,
Divitias monstrat dum tibi cista suas.
Qualis sis dicis si nunc emis ipsa uidebo,
Quod si nil dederis paruus amotor eris.

IN S V P E R B V M.

Quid Tyrio iactas saturatas murice uestes,
Quid notat ornatas lactea gemma manus.
Quid tu delicias sequeris, quid munera Bacchi.
Ebrius insano tu quid amore furis.

Si non

L I B . I.

Si non uis saltem peregrinam desere uitam,
Quam nondum nosti uiuere, disce prius.

D E P O R T I A .

Ad stygias Brutus Phlegetontis abiuerat undas,
Portia cum queritur tristia fata uiri.
Surgit amans subito mentis eeu concita flammis,
Et desyderio labitur illa suo.
Talis amor furor est, tanta est insania mentis,
Viuere cur nollet causa reperta fuit.
Augentur celeres absentis amore sagittae,
Quām crescunt illae, tam quoq; crescit amor.
Tanta est in curis, tanta est in amore potestas,
Morbus & est uerus credite uerus amor.
Conatur ferro properatam rumpere uitam,
Sed ferrum dextra demitur omne sua.
Portia candentes demisit in ora fauillas,
Tam fuit in magnis ingeniosa malis.
Inuenit ille cito mortem, qui uiuere nescit,
Inuenit ut uiuat, uiuere qui didicit.

A D S E S T A M .

Fœlix quem primum uexabis sponsa maritum,
Et quem tu facies nupta puella uirum.
Quam uellem tecum gelidis habitare pruinis,
Et Lybicas inter uiuere posse feras.

Nempe

S. LEMNII.

Nempe calor membris ferueret amore puellæ.
Et desyderio parceret ipse Leo.
Mysilo fieret mca tibia nota Leoni,
Si fieres coniunx Sesta puella mihi.

OCCASIO.

In medio stantem pelago me pinxit Apelles.
Est status hic dubio stantis in orbe meus.
Inq; genu uideas nobis pes ponitur alter,
Et bene uix alter tangitur orbe mihi.
Occiput est caluum nexionis a fronte capillis,
Inq; globo medijs inde ferimur aquis.
Tensaq; de baculo gesto mea carbasa uentis,
Quæ sequitur uelis aura secunda meis.

IN AMBITIOSVM.

Et mihi scripta domi latitant epigrammata centum?
Qua me non quiuis arte sequetur ait.
Quod scribunt Marcus, Marsus, doctusq; Catullus,
Hoc nihil est dicas, sed meliora facis.
Nimirum tantos potcris superare poetas,
At non stulticiam uiceris ipse tuam.

DE BAIIS.

Contigit Ausonias loca iucundissima Baias,
Qui gerit ignifera tela Cupido manu.

Ac po-

L I B. I.

Ac posuit densa grauidas sub fronde pharetræ;
Proijcit & molles non sine luce faces.
Vmbriferoq; locat uiridis sub tegmine lauri
Lassaq; membra ioco, lassaq; facta via.
Hic blandum fluuij sommum faciente susurro,
Forte subit dulcis languida membra quies.
At procul a niueis humeris exuta iacebant
Arma, nec est tclis clausa pharetra suis.
Ardebatq; faces, & flamma nitebat in herbis,
Quæ toties faciles usserat ante Deas.
Et flagrare sui uidisses gramen amore,
Arcus ubi iacuit mollior herba fuit.
Hoc ubi Naiades cernunt, Dryadesq; puellæ,
Neglectasq; uident scilicet esse faces.
Perdere quæq; cupit flammæ ultricibus undis,
Nempe quod his nobis vulnera fecit amor,
Vulnera fecit ait, nunquid patiemur inultæ,
Amittat uires perfidus iste suas.
At puer in uiridi carpebat cespite somnos,
Hic ubi laurigeri stipitis arbor erat.
Accedunt, animamq; tenent, uestigia furtim
Quæuis attonito fert tacitura gradu.
Ut pueri uiridis tetigere cubilia frondis,
Quælibet & flatus ne sonet ipse cauet.
Et iam finitima gressum tendebat in herbas.
Multi plenus adhuc ille soporis erat.

Gaudet

S. LEMNII.

Gaudent & sparsas tollunt de gramine tædas,
Telaq; diuersis quæ iacuere locis.
Inq; lacus portant ueluti peritura puella,
Nempe quod extingui quæq; putaret aqua.
Ecce faces mersæ liquidis arsere sub undis,
Et tenuit flamas lucida tæda suas.
At fluuius vires isto contraxit ab igne,
Et tepidas Nymphis iam quoq; præbet aquas.
Quæ retinent ueteris etiam uestigia flammæ,
Vulnus & assiduo quo moueatur habet.
Scilicet hic nullis extinguitur ardor ab undis.
Nec timet humores cœrula Dori tuos.

AD BERSABEAM.

Inter iudaicas pulcherrima nupta maritas,
Cur tua fontanis crura lauantur aquis.
Cum sis & liquidis tu longe purior undis.
Perspicua niueus pes tibi lucet aqua.
Floridior pratis, riguis iucundior hortis,
Lucidior uitro, candidiorq; niue.
Heu scelus, heu regi nimium formosa uideris,
Define, nam forma est pernitiosa tua.
Debueras uultus potius foedare serenos,
Debuerant peplo splendida membra tegi.
Quid facis infelix, minatur prelia forma.
Non est successus ista habitura bonos.

Quint

L I B . I.

Quam male fortunam miseri uidistis amantes,
Debueras isti non placuisse uiro.
Forma nocet multis, formæ nocuerit puellis,
Scilicet et casti damna pudoris habent.

D E P I S C E .

Dum salit Albiacis squamosus piscis in undis,
A liquidis Sturno tollitur ille uadis.
Ponitur et nido uolucrum tum piscis in alto.
Qui latuit fluvio, iam quoq; fronde latet.
Querit aues nido, piscemq; inuenit in illo
Rusticus, et pisces aucupis arte capit.
Retia iam cessent, iam lina madentia cessent,
Nec madidas curuus prouolet hamus aquas.
Deprendat nudos pescator in arbore pisces,
Si capere hos nidis aucupis arte placet.

D E O B I T V . V . A N E M O E T I I .

Editus est noster sine te Volphange libellus,
Nec te lectorum sperat habere sibi.
Gaudia quanta tibi noster Volphange libellus
Nunc faceret uiuo, sed modo nempe iaces.
Impia Boiorum tellus, et numine lævo
Visa tibi, tamen hæc continet ossa solo.
Funde tuo lachrymas orbata parente iuuentus,
Et resonet planctu patria terra suo.

Flebilibus

S. L E M N I I.

Flebilis Tatij plangas modo musa camenis;
Audiat & luctus Vindelis ora tuos.
Nos ad arenosum mortem deflebimus Albim.
Naiades hic mecum tristia fata dolent.
Heu qualis pietas, qualis doctrina iacebit,
Illius at uirtus non tamen ipsa iacet.
Ingenium uiuet pietas doctrinaq; uiuet.
Testis erit uarijs nota Thalia plagis.

A D P R I N C I P E M A L B E R
tum, Cardinalem &c.

De uictis ouet ille licet uictore Sucuis,
Sequanico ferat hic capta tropca uadò.
Ille sit & Lybici celebrator nempe triumphi,
Hic tocies belli Pannonas arte premat.
Omnia sed uestro princeps superantur honore,
Quod spectatorem te tua laurus hábet,
Laurus habet pacis non ultima premia palmæ.
Laurus habet laudem non minus ista suam:
Quam melius semper læta qui pacc triumphat,
Et qui pacificis ille uidetur equis.
Hanc tu conseruas toties sine clade popelli.
Ast alijs rubuit sanguinolenta manus.
Emptatibi pax est, alijs sed uenditur auro.
Quamuis sis populo non minor ipse tuo.

Dc nuptijs

L I B . I.

DE NVPTIIS DOMINICI GAYDENTIS

Nobilis ipsa domo Gaudenti sponsa marito
Nupsit, at est animo nobilis ipse suo.

Nunc Hymenæe faces ad candida templa referto,
Macte esto tædis nunc Hymenæe tuis.

Tam bene uiminibus iunguntur uite Corymbi,
Tamq; hederis quercus stat benc iuncta suis.

Tam bene odorifero miscetur nardus amomo,
Attica cum Chio tam bene mella mero.

Nec plus cerua nemus, nec plus sua saxa capellæ,
Nec plus lotos aquas, littora laurus amat.

Hæc precor ut casto maneat concordia lecto,
Vt sit perpetuo nulla querela thoro.

Ille suam nuptam, sed diligit illa maritum,
Hæc mater proli, sit pater ille suæ.

Hec anus, ille senex iuuenilcs scruet amores,
Quod fuit hæc sit anus, quod fuit ille senex.

I N A M A T O R E M .

Bellus amator habes inflexos ordine crines,
Clausaq; in argento cinnama semper oles.

Cantica qui uulgi, Venerisq; in amore susurras,
Quiq; moues apto membra rotata modo.

Lætus & alterno currrens pede uirgine saltas,
Virginis & nudas crura pedesq; tuæ.

C

Huc

S. LEMNII.

Huc illucq; rotas illam, clamasq; rotando,
Et geminas uocem salua sit illa mihi.
Quaq; salis, salit ipsa tibi per compita uirgo,
Aptus es amplexus, aptus es arte pedis.
Dicis in auriculam teneræ qui uerba puellæ,
Et ueteres dicis uos adamastis aui.
Et legis hinc illinc missas ab amore tabellas,
Dumq; probas, rides illa uel illa legens.
Quam quis amet bene scis, dum per conuiuia curris,
Sed quæ te redamet non bene scire potes.

DE HENRICO ABBATE ZINENSI.

Venit ad Abbatem Zincensem rusticus orans,
Vicinos hortos ut daret ille sibi.
Quos prius extenuat, nihil est, concede roganti,
Commoda magna mihi sed tibi nulla ferent.
Sensit at iste dolum, si nil est improbe dixit,
Et me nil poscis, quod petis ipse dabo.

IN ARISTOTELICVM.

Fugerit an uatis Lygurini fercula uates,
Cuius lætatur Bilbilis ipsa libris.
Nescio sed cænæ scio quod tua fercula fugi,
In causa est clamas quod nimis ipse sophos.

DE FISTVLATORE.

Ruffius

L I B . I.

Ruffius accepit calamos , & uendidit artes,
Cum calamis artes nunc habet ille suas.

IN HOSPITEM OENIPOLITANVM.

Propinas semper, sed nulli pocula præbes,
Sic tu propinas, solus ut ipse bibas.

IN PSEUDOLOGVM.

Me semper dicas mensa nimis esse loquacem,
Dumq; loquor nullum tunc quoq; posse loqui.
At te mendacem multo plus esse probabo ,
Vix ego bina queo, tu tria uerba potes.
Incidis in pisces, Balenas uidimus inquis,
Incidis in porcos, tum quoq; figis apros.
Incidis in ludos, tunc es gladiator in armis
Luctator luctis, esq; natator aquis.
Quidlibet in causis narraueris, ipse pcregi
Dicis, & in cunctis quidlibet ipse facis.
Incipit hinc aliquis causas inquirere rerum,
Tum tu grande potes uoce sonare sophos.
Lis erit in quemuis demens conuitia iactas.
Omnibus et mendax, omnia falsa refers,
Verus is est, qui te mendacem credidit esse,
Quiq; negat sanum, sanus is esse potest.

AD STIGELIVM.

C 2 Insequor

S. LEMNII.

Insequor, & fugio dicas mirabilis iste est.

Mirus sum certe dum sequor, & fugio.

Nolle uolo, sed & est quam nolle uolebam,

Nolo uelle tamen, sed uolo nolle tamcn.

Scribitur A. duplex, & scribitur altera cum C.

Quæ sequitur fugio, quæ fugit ipse sequor.

IN OENIPOLITANVM.

Austrica uina mihi prebes, tibi Rhætica potas,

Et pro te uino pocula dicas habes.

IN QVINTVM AMATOREM

Cur decies ternis discedis Quinte choreis,

Et mutata tibi pallia plus decies.

Num tua quod cunctis uis pallia cuncta uideri,

Et nisi quis uidcat pallia habere nequis.

Si cupis hoc, una prudens uice pallia cuncta

Indue, nec toties cogeris ire domum.

AD ZOILVM.

Dic mihi qui nam homines sudantes Zoile coenent,

Et quibus in medio membra labore rigent?

AD SVSVRONEM.

Ipse Milon uitulum primo gestauit ab aeo,

Quem iuuenis post hac sustulit ille bouem.

Sic

L I B . I.

Sic uitulum Cyclops teneris cænare sub annis,
Post iuuenis potuit nempe uorare bouem.

A D A M P H A C O M E T A M .

Dum modo quis poterit propriam nouisse parētēm,
Esse suum credat quemlibet ille patrem.

A D T H E O B A L D V M .

Cur tibi non donem miraris sæpe libellos,
Cur alijs mittam carmina nulla tibi.
Non hoc inuidia feci. namq; altcra causa est,
Sed cur hoc feci, maxima causa fuit.
Ipse tuos rursum misisses forte libellos,
Me quibus ad parthos longa per arua fuges.

A D Q V I R I N V M .

Quæ tecum fuerat nuper sine lege Quirine,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.
Quiq; simul furant iuuenes sine lege Quirine,
Affines potes hos dicere legitimos.

I N B A L B V M .

Profecit cantor toties & sæpe canendo,
Ut noceat uoci cantio nulla suæ.
Tu quoq; cauisti toties & sæpe loquendo,
Ne posses unquam nil nisi Balbe loqui.

C 3 Et quamvis

S. LEMNII.

Et quamvis clamis nimium nimiumq; loquaris,
Ne noceat uerbis garrula lingua tuis.

AD STIGELIVM THVRINGVM.

Culte uerecundas Phœbi Thuringe per artes,
Qui canis Aonia carmina blanda lyra.
Te mea fœlicem gaudet rediisse camena,
Quodq; grauis gaudet uenerit ista manus.
Scis mihi discedens quid nam promiseris ipse,
Et tibi dimidium dixeris æris crit.
Si quid donauit sacris modo regia musis,
Et si quid meruit, qui dedit istud opus.
Apparere mihi facias promissa monenti.
Scilicet ut fertur largius ipse bibi.
Credis? idem totam testatur fama per urbem,
Dicitur ē populo quilibet ista loqui.

IN MACROCHITONEM.

Narratur belle nuper dixisse Melanthon,
Ingenium manicis omne latere tuis.

AD PRINCIPEM ALBERTVM.

Tanta tua est patriæ, et populo clementia princeps,
Quanta etiam Caij Cæsar is illa fuit.
Quamq; fuit domito fœlix Octavius orbe.
Tam tu placata plebe beatus cris.

IIIe

L I B . I.

Ille pater patriæ fertur meruisse uocari,
Ipse pater populi diceris esse tui.
Fouit & ille suas sacro Permesside Musas,
Vatibus & statuit præmia digna suis.
Tu quoq; prosequeris studio Parnassidas undas,
Vatibus & præbes munera larga tuis.
Tu modo non cesses doctas fuisse sorores,
Vatibus Augustus nempe secundus eris.

A D S A B I N V M.

Hæc ego, cæsarco celebrate Sabine triumpho,
Hæc ego, Teutonici fama Sabine soli.
Qualicunq; uides deducta epigrammata uersus
Adfero iudicio nempe legenda tuo.
Quæq; precor fuerint nostris uitiosa libellis,
Apposita emendas docte Sabine manu.
Ne mihi non nota signetur arundine charthæ.
Neue mihi possit tutior esse domi.

A D L E C T O R E M.

Hendecasyllabicos, & cur non scribis Iambos,
Versibus est istis pagina nulla tibi.
Sic tu nempe mihi dicas, sed tu mihi dicas,
Cur tibi non dederit Bilbilis Hexametra.

F I N I S.

S. LEMNII.

AD REVERENDISSIMUM ET
ILLVSTRISSIMUM PRINCIPEM,
ac Dominum, Dominum Albertum, Ecclesiæ Ro-
manæ Cardinalem, Principem Electorem, Archie-
piscopum Moguntinū, ac Magdeburgensem,
præsulum Germaniæ primatē, Ad-
ministratorem Halberstatensem.
Marchionem Brandenbur-
gensem, Burggrauium
Noribergen-
sem &c.

S. Lemnij,
EPIGRAMMATON.

LIBER .II.

Parue sacros Domini liber ingressure penates
Si potes hæc modico carmina tinge sale.
Non licet obscenas Domino tibi ferrē tabellas,
Non licet obscenis scripta dedisse iocis.
Est grauis ille, sed est aliqua quoq; parte iocosus,
Principibus magnis quatenus esse licet.

Disce

L I B . I . II.

Disce uerecundo proferre poemata uersū,
Disce uerecundo partius ore loqui.
Illiū & placidi tanta est reuerentia uultus,
Quanta nec Ausonij cæsaris ulla fuit.
Quanta & Traianus, tanta est grauitate probādus,
Illiū & probitas, quanta uel huius erat.
Hinc obscēna Venuſ fugias, Satyriq; salaces,
Crede mihi lusus non legit ille tuos.
Agnoscantq; suos mores, relegantq; Nerones,
Carmina sed nullus perlegat ista Nero,
Nuda uenus cedas, non te decet iste libellus,
Ilege quæ Marsus, quæq; Catullus habet.

A D .D. PHILIPPVM BVCHAMERVM
Medicūm Principis Alberti Card. &c.

Artis Pæoniae non ultima fama Philippe,
Qui medica sanas languida membra manu.
Sicq; Machaonio moderaris pocula succo,
Ut sibi non uanam sentiat æger opem.
Cui quoq; nascentes Domini cognoscere morbos,
Et defessa ducis pectora nosse licet.
Hinc & amicitiae magnus tibi contigit usus,
Et Domino frueris tu propiore tibi.
Exhibcas nostrum si quid uacat inde libellum,
Vtq; legat Dominus fac precor ista tuus.
Hæc mihi suscipiet si carmina Principis aula,
Et mihi si laudes commeruere tuas.

C S Vmbrans

S. LEMNI.

Vmbram me Marci referam, docti^q; Catulli,
Me^q; bos mirabor tum potuisse sequi.
Sic dominum obseruas, sicut te diligit ille,
Sic^q; colas, ut se sentiat ille coli.

AD G. SABINVM.

En ego Pierias generosc Sabine per artes
Adfero iuditio scripta secunda tuo.
Iudice te laudem poterit mihi carmen habere,
Sic erit & primus, tutus & iste liber.
Securus pariter uolitabit uterq; libellus,
Ibit & intrepidis docta per ora modis.
Excat, & teneat placidas Antistitis aures,
Excat ingenij testis uterq; mei.
Dumq; placet Domino, per te placuisse putamus,
Hoc tribues illi, nec minus ipse tibi.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CARD. &c.

His quoq; temporibus nunc etas cedit auorum,
Cum duce fit maior Teutonis ora suo.
Quid tibi dent annos si uideris ante ducentos,
Nil nisi barbariem tempora lapsa dabunt.
Inspicias nostris si secula nostra poetis,
Inuenies aui tempora docta tui.
Quod non laudabit facundum tempus Erasmus,
Quae non Huttenum secla futura canent.

Sunt

L I B . II.

Sunt qui præcedunt, pariterq; etate sequuntur.
Magnus erit cunctos quos numerare labor.
Sunt Mccænates, modo sunt Alberte Marones,
Sis tu Mecænas, crescet & ipse Maro
Cæsar is Augusti redeunt nunc secula Musis,
Mccænasq; redit, Vergiliusq; redit.
Carolus imperium tenet, Augustusq; uocatur,
Te Mecænatem Castalis unda uocat.
Est tibi Vergilius iam notus in orbe Sabinus,
Qui de Cæsaribus carmina culta dedit.
Nasoq; pierias alter dabit Helius artes,
Cui sunt Ausoniæ plectra secunda lyræ.
Carolus hinc abeat, tibi tunc Augustus abibit,
Mecænas fueris tu nisi, nullus erit.
Desinet inde Maro, si desinet esse Sabinus,
At sis Mecænas, sisq; Sabine Maro.
Carolus Augustus teneat fœliciter orbem,
Tu Mecænatis nomina digna tene.

AD LIBELLVM SVVM.

Curre sed expansis placata per equora uelis,
Currere iam poteris liberiore uia.
Non est quod metuas, it fœlix uentus ab arcto,
Iam dudum timidam remige pelle ratem.
Explicuisse potes rugas in fronte libelle,
Esse uerecundo liberiorq; ioco.

Donec

S. LEMNII.

Donec ad optatas uenias telluris arenas,
Contingas portus doncc & ipse tuos.

AD LVSCVM.

Luscus amat luscam, nunquid bene uidit uterq;,
Recte lusce uides, & bene lusca uides.

AD CRINITVM.

Te quoties video, puto quod mihi pinifer Atlas
Adueniat, magnum est sic tibi crine caput.

AD IACOBVM STIRIVM

Nescio cur tenuis recedes Iacobe macrqrq;
An quod non decderit regia Torga satis.
Cur macer es, pinguis Torga tamen ante redibas,
Qui tenet imperium non fuit ille domi.

AD VANDALVM.

Cur tibi cælatum stannum timeatur & aurum
Quero, ne furcm fecerit illud ais.

AD BIBVLVM.

Es solitus fundo diuos cur saepe timere,
An dum sculpta uides, cuauata uides?
In nigellam.

L I B . II.

I N N I G E L L A M .

Lomento rugas facie quid condere tentas,
Crede mihi frustra labra uetus ta linis.
Decidit hic fucus, durat non amplius hora,
Tantisper poteris pulchrior esse mihi

D E F R I N G I L L A .

Aonijs nuper fringilla uolauit ab aruis,
Liquit & asuetos Phocidos illa lacus.
Hic ubi pieriae gaudent ceciniſſe uolucres,
Castalidumq; ſimul conſonat omne nemus.
Dulcibus asueuit fælix ubi uocibus illa,
Et didicit blandum, pieriumq; melos.
Hanc mihi donauit Phœbus, castæq; puellæ,
Fonte quibus ſacro Castalis unda fluit.
Hæc mihi ſeu roſeis ueniat lux alma quadrigis,
Siue ſub Hesperias currus agatur aquas.
Siue premat medium Titan calidifimus axem,
Vſq; Philctæum concinit illa melos.
Tu mihi cantando Phænicis ſecula uincas,
Cuius tu ſpecie digna uolucris eras.

A D C H R Y S E I D A .

Quam bene cognomen flauo tibi uenit ab auro,
Partibi cum forma nomen habere potes.

Auræ

S. LEMNII.

Aurea forma tibi nitido sed gravior auro,
Aurum non poterat forma quod ista potest.

AD STIRIVM.

Qui fit quod Baldus si quis non cesserit illi,
Exclamet subito dilanictq; togam.
Sextus ridenti non indignetur amico,
Dicam plus sapit hic, sed sapit ille minus.

AD G. SABINVM.

Dic mihi pierijs ornate Sabine libellis,
Esse uelis cuius fama decusq; rei.
An ne ut pastorum tibi floreat herba Gectarum,
Qua saturas undis Istula culta tuis.
An ne sucs iubeas boias tibi pascere glandes,
Præbeat an pecori Mulda sonorus aquas.
Non puto quod uelles uel si quoq; uelle uideris,
Dum modo sit Paphia molle cubile Deæ.
Dum tibi cantet olor semper Phœbcius ales.
Cedat Erythræo gemma reperta sinu.
Atq; opibus cædant Balylonica rura superbis,
Quæq; Semiramia mœnia cincta manu.
Diues & auratis cedat Pactolus arenis,
Et Tagus Hesperia iam quoq; cedat aqua.
Non ego Phryxeo me sic mirarer in auro,
Si foret ingenij fama Sabine tui.

O quantum

L I B . II.

O quantum nomen sacræ fecere sorores,
Signa dat in clypeo Pegasus ipse tuo.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CARD. Oe.

Hic ubi Diuorum tectis fulgentia late
Templa nitent, iuxta regia celsa patet.
Qua sedet Arctoi princeps illustrior orbis,
Hic ubi purpurcum fudit ab ore iubar.
Cum placido reducem dominum Moguntia uultus
Læta salutauit uoce, manuq; suum.
Grande decus domini testantur et altera templis,
Arcibus ignifero templo propinqua polo.
Hic geminæ coeli contingunt nubila turres,
Aurea sufficiunt his monumenta locis.
Hæc igitur tanto dicatur principe digna,
Te decet ingentem regia tanta ducem.

AD CHRISTOPH. A CARLBIZ.

Atria cui pendent generoso stemmate tota,
Et ceris equitum ter numeranda domus.
Arpinis similem chartis te fecit Erasmus,
Pluribus et uenam prætulit ille tuam.
Sic tua nobilitas animo fit clarior isto,
Ingenio illustras sic genus ipse tuum.
Sæpe mihi retulit Sueuis Hieronymus oris,
Promanent lingue flumina quanta thæ.

Quam

S. LEMNII.

Quam sis Theseidum priscis uersatus in armis.

Quam sis Rhomana notus in historia.

Præterea toto qui noscitur orbe Sabinus,

Quam tua Cecropia pectora uoce fluant.

Hoc etiam de te magnus testatur Erasmus,

Eloquium cuius par Ciceronis erat.

IN MALVM POETAM.

Vno sæpe die te disticha posse ducenta

Scribere sæpe refers, sed bona nulla facis.

AD TYROLFVM LYPSENSEM.

Christophori posses templis æquare figuram,

Si Tyrolfe queas demere sesquidem.

DE MANNO.

Carmina Mānus amat, scribit mala carmina mānus,

Et mala sint quamuis, carmina Mannus amat,

I nunc, & dubita Mannum non esse Poetam.

Delicias Mannus diligit ipse suas.

DE SERVO SVO.

Ante diem semper poscit sibi premia seruus,

Ante diem seruus sic puto natus erit.

AD FABVLLAM.

Quis

L I B . II.

Quis tumor albentes formosa Fabulla papillas

Excitat, exoptat num tumor iste uirum.

Non uis forte uirum, iuuenem sed nempe Fabulla,

Nam tibi nupta uirum non dabit ulla suum.

D E L V T I O.

Triginta numerat semper sibi Lutius annos,

Quem iuuenem quidam uiderat ante senex.

Verum si uincet Priami, uel Nestoris annos,

Annos triginta tum quoq; natus erit.

A D M A N N U M

Cum sit Mannus equus, nimis est tibi nobile nomen,

At fueras melius Manne uocatus óvoe.

I N S T E P H A N O T H E T I M.

Vsus amicitiae uetula tibi contigit ista,

Nouit amatorem scilicet ista tuum.

I N P E M Y L A M.

Preterij nuper solus cum uate Sabino,

Cum tu cum muscis obuia forte uenis.

Acris ego num quis portaret odoris amomum,

An ne aliquis ferret Cinnama forte rogo.

D Ædes

S. L E M N I I.

Fedes pictoris nos præterijſſe putabam,
Dum mihi cum roſea Nardus oleret aqua.
Post ubi me uerti te præterijſſe uidebam,
Et ſenſi ſubito Cinnama olere tua.
Sed miror collo cur ſemper Cinnama geſtes,
Et uifpensa premant pectora Muſca tua.
Cinnama ſemper oles, male ne noſcaris olere,
Non bene oles, dum tu ſic bene ſemper oles.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CARD. &c.

Regia geſtetur regi concede corona,
Et det opes foſſis Oenidos aula ſue.
Diuite Cæſaribus promanet nobilis auro
Hermus, & Hesperio conſonet orbe Tagus.
Mittat hic in festam laſciua numiſmata plebem,
Per nemus immensas claudat & ille feras.
Hic currentis equi capiat ter premia palmæ,
Ille q; ſit bellī militiæq; decus.
Siſ decus ipſe tuæ pacis ſanctiſſime Præſul,
Teq; colat populus pacis ametq; decus.
Aurum deuoluit tibi dum rex Rhenus aquarum,
Labitur & nitidis cærulus Albiſ aquis.
Salaq; Saxonicas incurrit nempe Salinas.
Hermus, & occiduo ſpernitur orbe Tagus.

AD D. IOAN. HORNEBVRGENSEM IV.
reconsultum Principis Alber. Card. &c.

Iuris

L I B. II.

*Iuris & equarum cultor iustissime legum,
Cæsareum patrio qui regis ore forum.
Si poteris nostro fortasse fauere labori,
Meq; meosq; aliqua ponere parte libros.
Insinuare meos non deditnare libellos,
Quos orna domino, quo licet ore tuo.
Ac me laude tua, dignumq; fauore putato.
Indiget & tali Pieris unda uiro.
Tum meliora mihi dictabit carmina Phœbus,
Inq; tuas laudes Castalis unda fluct.*

IN MYLVM.

*Cur Mylus malus esse uult Poeta,
Cur uult nescio, sed malus Poeta est.*

AD SCIURVM.

*Quod facias panem retulit mihi fama Sciure,
Non ego sum pistor dicis, at ipse puto.
Causas dicis ago, panem facis ipse probabo,
Et probo dicis ego, dico ego teste proba.
Scit me Christophorus consultum iuris & æqui,
Dumq; ego iura sequor, non ego pistor ero.
Quod panem facias si nescis ipse probabo,
Quod lucratur idem scilicet ille facit.
Dum tu lucraris panem facis ipse Sciure
Sic tibi fit panis, fitq; farina tibi.*

D 2 In Mætinum.

S. LEMNII.
IN MANNVM.

Virq; rubusq; tibi bene dant cognomina Mannes
Nomina conueniunt scilicet ista tibi.
Rusticus es, syluis semper uersaris in altis,
Carmina sylvestris sic male culta facis.

IN MACROLFVM.

Vis dici Græce semper Lanrice Macrolbos,
Sed Marcolbos eris littera si redeat.

DE TUPOLBW SCLAVO.

Quod si non plures nummos τύρολβος habebit.
Quam sibi cascolos tunc mihi pauper homo est.

AD TYROLBV M SCLAVV M.

Cum sis Tyrolbos, nec sit tibi cascus, ipse
Atυρος melius diceris ipse mihi.

AD PHEDILV M.

Bis denas nondum numeras si Phedile messes,
Tunc poteris nullas attribuisse tibi.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CARD. &c.

Inter Pontifices nostrorum maxime Präful,
Inter primates gloria prima uiros.

Multa

L I E . III.

Multa licet semper dederis tu dona Poetis,
Attamen his dices plura daturus ero.
Diligeris sacris non propter dona Poetis,
Propter te uates credito munus amant.

A D V I N S V M.

Iam tibi iam longum est habitata Bononia vinse.
Et Phactontei Mænia uisa Padi.
Nunquid ergo Oenotrias iam nosti vinse puellas,
An tibi uel Pataui displicuere Nurus.
Num latias iactas numerosa uolumina leges,
Veridico Latium num regis ore forum.
Altera preterijt, nunc altera prodijt ætas,
Et nondum Italicos exprimis ore sonos.

I N S I V E R T E M.

Si cuius nosti commissa poemata uulgo,
Hoc nihil est dicis, quod facis hoc nihil est.

D E L E O N E B A V A R I Æ D V C I S.

Percipitur quantus Getula per auia clamor.
Non uno quoties sylua Leone sonat.
Cum timidus reuocat pecudes, armentaque pastor,
Et fugat attonitos cum sine mente greges.
Tantum Bauarica resonat tum murmur in aula,
Cum uocat ad mensas principis ipsa tuba.

D 3 Das

S. LEMNIK

Dat per colla thoros, geminat dum murmura uoce,
Exprimit horrenda tympana uoce sua.
Nimirum Phrygio Cybelcs de uertice uenit,
Hic ubi consucuit uocibus ille tubæ.
Non puto quod talem tibi miserit Affrica syluis,
Scilicet Idæos exprimit iste sonos.

AD LECTORES.

Bis denas numero terna tricteride messes,
Si de uiginti dempseris ipse duas.

DE CAVSIDICO.

Lis erat ad Rhenum dominis non parua duobus,
Stabant uictori præmia magna suo.
Legibus instructus sed doctor utrinq; sedebat,
Legibus hic melior, ille sed arte fuit.
Ast hic dicebat narras nihil, ille sed erras,
Hoc nihil est inquit, quid mihi stulte refers.
Emis erat rerum dominus dubitabat utcrq;
Aurecolos subito mille sed ille tulit.
Prodita causa fuit, nam nil narrauit uterq;
Sed mille aurecolos cur tamen ille capis
Mos est causidicis mille, et numerare ducentos,
Seu causa uincat, seu minus illæ sua.

AD OENOPHILVM.

VII

L I B. II.

Vna hora fateor uersus me posse ducentos
Dicis, sed quales dicere non poteris.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CARD. &c.

Dum tua narratur per compita gloria Princeps,
Et reduci sunt carmina læta tibi.

Cum populus, cum gratus eques, cumq; ipse Senatus
Lætitiae domino signa dedere suo.

Dicitur exiguae pater exultasse per undas
Mogus, et in medijs obstupuisse uadis.

AD HIERONYMVM AB HIRNHEYM.

Cum proauos numeres et iactes nobilis arces,
Scruiat et domino rustica turba tibi.

Et tibi sint fratres, qui Cæsar is arma sequuntur,
Qui sunt militiae lausq; decusq; togæ.

Et tibi sint notæ leges, et Cæsar is acta,
Sit doctrina tibi sit tibi certa fides.

Hoc doleo tecum quod tu plebeius esse
Cogeris, et tam sunt aspera fatæ tue.

IN A N. C.

Quot tibi de collo cælata numismata pendent,
Tot quoq; amatores dicens habere tui.

Credo magis quod sint tibi grata numismata cunctis,
His das ore libens oscula nempe tuo.

D 4 Oscula

S. LEMNII.

Oscula das nulli, nisi & ille numismata donet.
Nunquid amatoris diligis æra tui.
Secula dicantur nunc ista numismatis esse,
Dum quis habet nummos semper amatus erit.

AD A. A.

Nomen habes auri cum sis formosior auro,
Nobilis es forma, nobile corpus habes.
Ista foret flauo multis quoq; gravior auro,
Scilicet Aonias ista deceret aquas.
Si tam mente fores quam forma pulchra uidcris,
Pulchrior in terris nulla puella foret.

AD GLADIATOREM.

Aureolis artes Priscus uult discere binis,
Cumq; parum didicit uult dare dimidium.
Accipe ne gladij ueniant obliuia Prisco,
Si uis ut soluat præmia tolle tua.

IN CIPERVM SVPERBVM.

Incedis nitida formosus ueste Cipere,
Fimbria de Tyrio tota colore tua est.
Crura tegit pannus Venetis qui uenditur oris,
Ast exile tegunt serica texta femur.
Purpura quin tonsos ornat tibi nigra capillos,
Culter & argentum circuit ipse tuum.

Non

L I B . II .

Non tamen admiror, dum non emis ista Cipere,
Dum modo non soluas, non emis ista mihi.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CARD. &c.

Te uenisse tuam dudum scit Rhenus in urbem,
Nam strepitus plebis sentit & ille tuæ.

Vindelicas etiam gentes, flauosq; Sueuos,
Letitiae clamor terruit iste nouæ.

Dum te lætanti populus ueneratur in urbe,
Et facit in plenis gaudia tanta uijs.

Audiit hunc plausum medijs quoq; Rhenus in undis,
Et phaleris nitidos currere sensit equos.

DE SYLVA NAPÆA.

Est nemus, Arctoa uenienti occurrit ab urbe,
Qua ducis Albiaci turris amæna patet.

Itur in occasum, sed dextra prospicit Arctos,
Et latus oppositum feruidus Auster habet.

Stant prope coctilibus longissima tecta caminis,
Arctat ubi lateres lucidus igne focus.

Hæc quonia m mansit semper sine nomine sylua,
Cumq; decet faciles nec minus ista Deas.

Hic etenim uidi uiolas legisse Napæas,
Floribus & niuea texere serta manu.

Sacra sit ergo sacris hæc semper sylua Napæis,
Hæc sit ad Albiacum sylua Napæa uadum.

D S Hoc

S. LEMNII.

Hoc tibi nunc scito nomen fecisse Napæas,
Quodq; tibi fingit Lemnia Musa tene.
Iam frondesce diu nostris celebrata camenis,
Donec erunt nobis carmina, nomen erit.

IN RABVLAM.

Bellus agis causas & fundis uerba disertus,
Horis ipse potes dicere & illa tribus.
Et tribus ipse nouem uoces uix diceris horis.
Perfecisse, potes dicere nempe diu.
Cumq; diu dicis, tum nil dixisse uideris,
Dicis in ore statim quicquid haberc potes.
Hac quoq; qua loqueris poteras ratione tacere,
Dum nihil est quod tu dicere nempe soles.

IN LENTINV M.

Dum loqueris dormis, & uis tamen esse disertus,
Sed dormire precor desine dum loqueris.

IN THEOBALDV M.

Viscastus semper uis dici deniq; uirgo,
Et uis Hippolyto castior esse tuo.
Et uis uel casta tu castior esse Diana,
Sic es castrato castior ipse uiro.

IN AERE M.

Nonne

L I B . II.

Nonne mihi nuper uoluisti hypocausta locare,
Et iam cur uxor denegat ista tua.

Hoc scio ne dic, me quod sit mihi tibia non uult,
At mihi dic Mildam cur nequit illa domos

I N G R A E C V L V M .

Iliadem nuper didicit Thelesinus Homeri,
Nec legisse parum iactitat Iliada,
Ante dies aliquot sc nondum noscere dixit
Dorica Mæonidæ prælia uatis opus,
Hectoris ast hodie cedes, & fortis Achillis
Narrauit, quamuis non tenet Iliada,
Et Diomedis equos, & narrat uulnera Martis,
Dumq; iuuat natum sit quoq; cæsa Venus.
Ut sit per Venerem medijs erceptus ab armis,
Rideat utq; Parin Tyndaris ipsa suum.
Est physicum dicit, Veneri quod uulnera fecit
Tytides, nimium scilicet iste sapit.
Causa subest inquit, sed causam dicere non uult,
Dicere nam uellet, dicere si poterat.
Et reliquos superat magna liber arte secundus,
O quām stultiæ signa dat ille sue.
Iliadem recitat, quām nunquam scripsit Homerus,
Nec tibi quæ fingit Ilias ulla dabit.
Omnia scire cupit solus tamen omnia nescit,
Vno nempe die qui legit Iliada.

Ad principia

S. LEMNII.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CARD. &c.

Cedunt arma toga, pax est florentior illis,
Pax segetem nutrit, pacis alumna seges.
Pax iuuenes seruat, iuuenes sed prælia perdunt,
Miles & infestat, quod dedit arte manus.
Pace uigent artes, floret Respubica pace,
Pace manet templis cum pietate decus.
Floruit in lœta patrias qui pace per urbcs,
Belligerò potuit non minor esse duce.
Et si pacificos memorabat Rhoma Triumphos,
Pacis amatores si quoq; laurus habet.
Nec minor est magno Cæsar Pater Æmyliano,
Quamuis hic pacem, bella, sed ille tulit.
Tu quoq; dum placida Mogum sub paci gubernas,
Non minor ista tuæ laurea pacis erit.

AD HIERONYMVM AB HIRNHEYM.

Pinguibus Ausoniæ terram cum uideris aruis,
Visaq; sint culto Gallica regna solo.
Dic mihi num patrijs poteras fæcior hortis
Esse, nec ignota semper abesse plaga.
Tutior esse domi, sed non prudentior esse,
Scilicet hec uirtus prouenit inde tibi.
Per duo lustra fuit medijs iactatus in undis
Ithacus, & lacera puppe uagatus aqua.

Hinc

L I B . II.

Hinc uarios hominum mores, perlustrat & urbes,
Hinc Sophie exemplum ponitur ille tibi.

DE DISCESSV ÆMYLII ET C. PANNONIL.

Cras pariter nostris uos discedetis ab oris,
In Crocontiadas ibitis inde plagas.
Ergo sit hæc nitido nobis signanda lapillo
Quæ ueniet lætis nox abitura modis.
Deflue nunc fœlix cerealibus amphora succis.
Nunc dabitur potu nempe calcre tuo.
Contingat nostris nox hæc tam candida mensis,
Cum peteres Cypron quam tua Teucer erat.
Pocula quanta babit fœlix abiturus Achilles,
Et nos scposita tanta bibemus aqua.
Tunc cum uos nobis reddent Crocontia regna,
Luxuriæ est nobis causa futura nouæ.

I N A N T I N O V M.

Texta coma est tonso quæ circum tempora pendet,
Ut solet esse suas texta puella comas.
Dum sic incedis textus de more puellæ,
Nnnquid erit qui te sic putet esse uirum?

A D M A R C E L L U M.

Rhomanae Marcellæ iterum spes altera lingue,
Ingenijq; alter dexteritate tui,

Hac

S. LEMNII.

Hac quoq; si nescis uiuit Marianus in urbe,
Est carus quamuis hac quoq; Panniculus.
Crispus hinc gemmis digitos ornatus et auro,
Crura gerit nullis aspera facta pilis.
Procuratores sibi uult iam quaelibet esse,
Chius et Aufidius gravior hospes adest.
Esse quidem mallem tali modo Crispulus urbe,
Doctus et insignis quam Marianus ego.
Panniculus fias, fias Marianus in urbe,
Acris adest subito Chius et Aufidius.
Qui tibi dent alapas, nec sunt Mariane latini,
Nulla locat Chio retia Panniculus.

AD STIGELIVM.

Quis niger iste faber dominæ qui semper adhæret,
Scilicet uxori quod timet ille suæ.
Si quis enim uxorem uultum conuertit in ipsam,
Tunc oculo saevis prospicit ille truci.
Ut madido pastor uidit Polyphemus in antro,
Neritos auido dum uorat ore viros.
Cumq; suburbanos nymphis spatiatur in hortos,
It simul uxori tunc comes ille suæ.
Et tamen hunc nuper, nuper percussit et illum,
Mollities est hunc quæ facit esse uirum.
Trux est uxoris si quis res egerit illas,
Quæ miser uxori debuit ille suæ.

Ergo

L I B . II.

Ergo duos nuper sed clam percusserat ille,
Egerat uxoris res quod uterq; sue.

A D E M P E D O C L E M .

Ne tibi discipulus dominæ sit forte Magister,
Si potes hoc prudens ipse cauere caue.
Tu foris astra uides intus uidet ille maritam,
Res agis, uxoris res agit ille tue.

A D A R G Y R O L O G V M .

Et solus numeras corrasa numismata mensis,
Solus & hæc mittis mutuo principibus.
Vinaq; solus habes, & opimæ fercula mensæ,
Solus habes pectus, solus & ingenium.
Solus habes magnas è saxo splendidus ædes.
Discipulos multos solus habere potes.
Hæc tu solus habes, unum non solus habebis,
Nempe quod uxorem non quoq; solus habes.

D E M O R I O N E .

Audierat quondam laudari mœnia stultus,
Quodq; capi possent audijt ille fame.
Nec mora laudatam stultus peruenit ad urbem,
Et longa tenet hanc obsidione famis.
At non cœuriens tamen hic tum mœnia cepit,
Mœnia dum captat, se capit ille prius.

De marsino.

S. LEMNII.
DE MARSINO SCLAVO.

Sclavius ad Albiacam Marsinus uenerat urbem,
Emptor, & errantes undiq; cernit equos.
Ut confexit equum, si uenditur ille pusillus,
Accipe mercedem, sit meus inquit equus.
Annuit octo daret, septem sed præbuit illi
Aurculos, empto latus abibat equo.
Gaudet ouans, celeri rapiturq; per arua caballo,
Qui sequitur clamat, disine cogis equam.
Hic negat, ille refert dubitas, descendit uidebis,
Tunc ibi descendit cernat ut emptor equum.
Tollit equo caudam, uideat num masculus esset,
Inter & illius spectat ubiq; nates.
Vidit ut clausus sine testibus esse caballum,
Me miserū exclamans non equus inquit equa est.

AD AMENVM.

Si rubram cernis, miraris Amene puellam,
Non puto quod possis ipse uidere satis.
Sæpe oculos falso perfusa colore fefellit,
Non est nativus, qui rubet ore color.
In facie fucus Crocodyli stercore sordet,
Cum liquefactus abit mollis ab ore rubor.
Hanc quoties roscam quotiesq; uenire rubentem,
Et fucum picta fronte nitere uides.

Hanc

L I B . II.

Hanc liceat dicas Crocodyli stercus olere,
Dici rubra nequit, si qua colore rubet.

I N S E B A S T I A N U M L V.

Scribere si qua licet, de te tum scibere uellem,
Ipse licet nunquam carmine dignus eris.
Attamen ut talis multis quoq; fama sciatur,
Accipe parua manu scripta notata mea.
Falsus amicitiae tecum mihi contigit usus,
Scilicet ut falsus nil nisi falsa sonas,
Fingis amicitias, & uana mollia lingua
Verba refers, uerbis omnia falsa tuis.
Est tibi nulla fides, nulla est doctrina, nec usus,
Te puto plus doctam quamlibet esse suem.
Narras multa quidcm, sed narras omnia stulte,
Multa licet narres omnia falsa tamen.
Si uis ut credam scite mentire, sed ipse
Mentiris stulte, quicquid ab ore uomis.
Ipse nasutum, derisoremq; Sueum,
Et tibi tum credam quicquid & ille tibi.

I N T A P E N U M .

Est tibi conueniens hoc nomen incepit Tapene,
Si forsan nescis ipse Tapenus homo es.
Quid sis forte rogas, quid si tu forsan inceptus
Diceris, ipse negas, ipse Tapenus eris.

E Dignus

S. L E M N I.

Dignus es ex risu, tali quoq; nomine dignus,
Sic poteris fastis esse tapenus homo.

I N I C H T H Y O P H O R V M.

Et poterit stygia tristis cænare palude,
Et prandere potest ille Charonte sene.
Fœnaq; Lernæis gustasse palustria syluis,
Et pariter fœdos anguib; esse cibos.
Qui conuiua tuo poterit cænarc catino,
Et tua lætifero sumere uina scypho.
Sint tibi conuiue Parthi, sauiq; Tomitæ,
Et Ciconum turbæ, Lestrigonumq; manus.

D E I M A G I N E P R I N C I P I S A L B E R T I.

Quæ tibi spectatur læto pictura colore,
Quos referat uultus lector amice rogas.
Talis erat medijs princeps Albertus in annis,
Cum medio cursu tempora lapsa tulit.
Ars utinam mentem moresq; effingere posset,
Principe tum tanto digna tabella foret.

I N A V A R V M.

Centenis lateres ex emis quoq; sæpe ducentis,
Et duce sub primo condita uina bibis.
Vndiq; de muro pendet spetiosa supellex,
Et mons Argenti millia quinq; dedit.

Et pre

L I B . II.

Et pretium fundi numerosa pecunia constat,
Nullis est pluris quam domus empta tibi.
Plus alijs etiam est tibi Ditis auara Cupido,
Scdit in ingenio scilicet ille tuo

D E B A S S O .

Primo nemo die cum bassus balnea uisit,
Hoc notat, ostendit proxima quæq; dies.

A D P O L L A M .

Cum te laudaui festis ego Polla diebus,
Laudauit formam dicis & ille meam.
An nisi de teneris semper sunt uestra puellis
Verba, at ego quod sim fabula uestra puto.
Sic prohibes & uis laudari saepe puella,
An uis an non uis dicere non potero.

A D P R A S S I N V M .

Ridenti nuper dixit lasciuia puella.
Si me derides dicio quæso mihi.
Rideo te dixi, ponam uelamina dixit,
Nempe ut nuda minus ridear ipsa tibi.

A D T H E O B A L D V M .

Cum repetis thermas cygnus tunc esse uideris,
Cumq; redis, coruo nigrior ipse redis.
Sed puto quod tangas plenum fuligine tignum,
Aut nimis in fumo forsitan ipse laues.

S. L E M N I L.

A D A. C H R Y.

Sæpe refers nudam tu me si forte uideres,

Tum tibi non solum crura placere putas.

Laudares teneras, et adhuc sine lacte papillas,

Pectora laudares candidiora niue.

Hoc scio, uerū aliquid plus est quod et ipse probare,

Ipse femur dicas, non ego dico femur.

Displacet ergo femur, non, illo pulchra uideris,

Pulchrius est aliquid non procul inde tamen.

A D A n. G l.

Cur uites semper communia balnea dicam,

Quod sis nigra scio, quod scabiosa puto.

I N C A R P O P H.

Quod domus è paruo tibi sit constructa fateris,

Cur igitur tanti uenditur illa tibi.

Quingentis constat, sed cur tu mille reuendis,

Pectora nempe aliquis quod tua Dæmon habet.

I N T R A S O N E M.

Cum uis esse ferox plenos bibis ipse cululos,

Et nisi tu biberis non potes esse ferox.

Tum bene congrederis, sed nil tu sobrius audes,

Est animus potis ipse pusillus aquis.

Si quis magnanimus fuerit, si potet et undas,

Attamen est potio fortior ille uiro.

Tu non

L I E. II.

Tu non es fortis, nisi sis bene potus, et unum
Sis contra septus quattuor ipse uiris.
Hæc tum magno animo credis te bella parare,
Corpore sis magnus, corde pusillus homo es.

D E A V L I C O

Aulicus orabat poscens à principe munus,
Sed tum quod peteret, dixerat esse nihil.
Extant multa mei subdit benefacta parentis,
Et tibi qui fuerat fidus, & ipse comes.
Ille rogat quid sit, petitor pistrina rogabat
Contra turrigeras principis illa domos.
Sensit at ille dolos, an non quoq; iuncta facella
Ipse petis dixit, si nihil illa facis.
Cur ea poscebas, quæ nil tamen esse putabas,
Si nihil ipse petis, nil tibi dixit habe.
At se surripuit merito miser ille pudore,
Et nihil assequitur, dum petit ille nihil.

A D L E C T O R E M.

Quod non scribo tibi, forsan me queris Iambos,
Nostra Lycambæo scripta crux carent.

A D A N. N.

Quæ tibi nuper amans promisi munera poscis,
Ista tibi quando ueneris Anna dabo.

E 3 Ad an.

S. LEMNII.

AD AN. SVAM.

Hæc tibi donatur Thysbes pictura puellæ,
Vt quam sis ista pulchrior Anna scias.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CARD. &c.

Dij tibi dent quicquid princeps Alberte mereris,
Dij tibi dent Musis uiuere posse diu.

Qui sua restituis mansuris iura poetis,
Nullus qui merita laude carebit erit.

Dum modo tu uiuas patrijs fœlicior oris,
Et uitæ fiant stamina longa tuæ.

Spes eris Aonijs nondum casura poetis,
Principe teq; frui toto Helicone licet.

Dignus es ut possis nomen seruare perenne,
Et rapidos fama præterisse rogos.

Viue diu fœlix iam dudum fama perennis
Fertur, & est celebris uatibus illa tuis.

Pierijs semper digne cantabere Musis,
Vt facis Aonias dum ueneraris aquas.

DE NATALI SABINI.

Hæc est illa dies niueis signanda lapillis,
Quæ tanti partus conscientia facta fuit.

Cæsaribus patrijs fertur p̄cperisse poetam,
Quo niueis Teuton rursus ouaret equis.

Hæc

L I B. II.

Hæc, tibi quæ tantum uatem dedit Anna maritum,
Anna Melanchthonij spes & alumnalaris.

Adsis Phœbe precor sed quantus gesta canenti
Cæsar is adfueras, Cæsaribusq; suis.

Cum caneret fœlix immania Teutonis acta,
Acta Nero gestis ante ferenda tuis.

Hæc tum Phœbe tuo reparanti bella Sabino
Ipse dabas latijs plestra sonora modis.

Adsis Bachet tui sacris facunde poctæ,
Adsit Mæonidum Pieridumq; chorus.

Hac pro luce precor uenereris ut Anna maritum,
Sicq; colas ut se sentiat ille coli.

AD ASSENBURGIAM ARCEM PRINCI-
pis Alberti Cardinalis.

Pyramidas regum celsas Aseburgia ride,
Iam taceat pharium regia Memphis opus.

Pars quota Niniacæ labor est babylonicus aule,
Non fuerit teto maior in orbe licet.

Et sileat uacuo quod pendet in aere bustum.
Nunc etiam sileas templa Diana tua.

Nec Troiæ, nec sint palatia magna Mycenis,
Porticibus lateas iam quoq; Rhoma tuis.

Dissimuletq; suum Latio Rhamnusia templum,
Nec se iam laudent æqua theatra polo.

Cedant Rhomani palatia summa Neronis,
Et quodcumq; fuit Cæsar is illud opus.

S. L E M N I I.

Arte suo quantum uel tempore quodlibet horum
Præstabat, præstas tempore namq; tuo.
Ergo nec immerito ueterum miracula rides,
Diruta sub terra nempe quod illa iacent.
Æthera tu tangis nitido ccu condita cœlo,
Inferiore tonat nube serenus apex.
Vnde tuus princeps florentes prospicit agros,
Hic ubi non uno sub pede musta fluunt.
Vix est purpureis Hetruria tanta racemis,
Vix tibi tot præbent culta Methymna botros.
Hic etenim surgunt generoso palmito colles,
Hic sunt Teutonico nata falerna solo.
Præfluit undoso liquidus te flumine Mænus,
Et rapitur cursu longa per arua suo.
Talia cum iactes, & tangas nubila cœli.
Non tamen es domino celsior ipsa tuo.

AD PRINCIPEM ALBERTVM CAI D. & C.

Stat uetus in templis priscorum ritus auorum,
Nec pateris nobis secula cana mori.
Teutonidumq; tibi renouantur sacra priorum,
Statq; tuum ueteri relligione dccus.
Simpliori animo proauos nec deseris ipsos,
Et retines plebem relligione tuam,
Antiquis seruatur honos te præside templis,
Sic merito uicerum dictus amator crs.

Ad

L I B . II .

A D D . R V K K E R V M I V R E C O N -
sultum Principis Alberti Cardinalis &c.

Qui legis æquarum Rukkere uolumina legum,
Qui facis in patrio uerba diserta foro.
Iuraq; discernis, quæ legibus eruta priscis
Teutonicis ueteres restituere patres.
Tu quoq; Mæonias ne desere uoce pueras.
Debeat Aonios ista iuuare uiros.
Sic tibi sint domini penetralia plena fauore,
Sic sit & eloquij gloria magna tui.
Et tua tam placeat toti facundia Rheno,
Quam placuit Græcis Nestoris illa precor

A D I . S T I G E L I V M .

O mihi præcipuos inter memorande sodales,
O & Thuringi gloria prima soli.
Inter & Aonias fama non ultime Musas.
Cuius Pieria labra rigantur aqua.
Mollia qui blando deducis carmina uersu,
Quæ possent Phœbi ncmpe decere lyram.
Cum Maro non desit, nec desit Naso, nec ille
Qui tragica cecinit Dorica bella tuba.
Debes tu nostri quoq; temporis esse Tibullus,
Ista tibi dudum tradita palma fuit.

A D V I N S V M .

E s Ausonias

S. LEMNII.

Ausonias puto quod nosti modo Vīnse puellas,
Dum Phaetontei tu colis arua Padi.
Et tibi uisa fuit formosa Bononia Nymphis,
Miror si Pataui dispicuerit nurus.
Namq; duas altis peragras dum mœnibus urbes,
Vix puto quod Nymphas uideris ipse duas.
Tu Pataui sedem fugis, et Phactondidasundas,
Nempe quod hic lapides Iuppiter ipse pluit.
Hinc tibi uisa fuit præclara Bononia Musis,
Vnde tua uenient scripta notata manu.
Vnde mihi scribis ceu nil tu uideris istic,
Quod sit et Italici cara puella soli.
Quod si tu non plus discis, quam scribis amico,
Ad patrios uenies tum sine mente larcis.

AD PETRVM ELEMANNVM.

Inter magnanimos habitare Elemanne Cheruscos
Gaudes, et patro ponere membra solo.
Dum uernus uiridi cuculus super arbore cantat,
Et tibi frondoso monte teguntur aues.
Aut legis Andinum densa sub fronde Maronem,
Aut quæ Pelignus carmina Naso dedit.
Nunquid et hos nosces, quos iam tibi fama libellos
Attulit, et digitis carmina facta meis.
Ecquid ubi nosces, nostris lætabere Musis,
Si bene te noui, saepius ista leges.

Dum

L I B. II.

Dum tu gramineæ recubabis margine ripe,
Quam patria stringit Buda cheruscus aqua.
Et mea spargetur per te tum fama cheruscis,
Et forsitan dominæ carmine notus ero.
Herbosi colles, & tectus arundine Buda
Asuescent nostros forte sonare modos.

AD I. BRVNNONEM IVRECONSVLTVM.

Iuris, & æquarum cultor non infime legum,
Qui renouas patrij publica iura fori.
Cuius apud dominos ualuit facundia rerum,
Principis unde patent limina tanta tibi.
Vnde tibi census datur, & tibi dantur honores,
Vnde tibi fœlix principis aula fauet.
O quām dissimilis quondam fortuna parenti
Ista fuit, melior nempe sequuta fuit.
Inter oves etenim patrijs errabat in aruis,
Tondebatq; pater quos modo uilla greges.
Et soboles campis ad flumina nota canebat,
Frigida lanigerum dum tegit umbra pecus.
Tu quoq; compactas inflabas sèpè cicutas
Innixus baculo pastor ut inter oves.
O quām sèpe nouo modulatus cortice carmen
Fecisti totum uoce sonare nemus.
Et nunc tot domini Brunonia tecta frequentant.
Scilicet eloquio gaudet & aula tuo.

Ingenio

S. L E M N I I.

Ingenio illustras proauos, & patria rura,
Per te pastoris floruit ista domus.
Pierios succos, & defere Musa labores,
Si dare pastori talia iura queunt.

A D G R E G O R I V M B E R N T V M.

Gregori teneris pretium non uile puellis,
Gregori patriæ spes, & alumne domus.
Dum petis in nostris etiam pars esse libellis,
Et referat nomen pagina nostra tuum.
Facundæ licet pars nempe ferare Mineruæ,
Et mea quod uelles det tibi cartha accus.

A D A R C T V R V M P H R Y S I V M.

Arcturum dum tu spectas, pigrumq; Booten,
Et quid Phœbeios forte moretur equos,
Curq; citis currat Phœbe subiecta quadrigis,
Et cur defessis illa laboret equis.
Accur pisce gelu, geminis uer, uirgine messis
Desinat, & mutent hæc tibi signa dies.
Hæc tu dum spectas intentius sydera cœlo,
Dic mihi num uideas, est quod & ante pedes?

A D I O A N N E M F R U T I C A N V M.

Dum potes œneias Fruticane habitare Salinas,
Quas rapidis patrius præfluit Oenus aquis.

Hoc

L I B. II.

Hoc ego SAXONICUM deduxi carmen ad Albim,
Et dedimus uentis uela secunda ratis.
Et dum uer flores, & campis gramina ferret,
Hoc quoq; si nescis protulit istud opus.
Pierios succos uobis dabit iste libellus,
Et feret Aonias per tua saxa Deas.
Ecquid & hæc etiam uos gloria parua iuuabit,
Hæc peperit primum iam noua fama decus,
O quam blanda meis dabis oscula nempe libellis,
Inq; sinu referes carmina nostra tuo.
Illaq; Cæsaream tecum portabis in urbem,
Qua fluit undisona spumifer Oenus aqua.
Quaq; micant auro radiantia regia tecta,
Et tenuit fœlix Hæmylianus opes.
Vel releges altæ denso sub tegmine pinus,
Vel releges inter tu fruticeta tua.
Scu lassus medijs ad saxa iacebis in umbris,
Vnde loquax gelida riuulus exit aqua.
Scu tu frondoso forsan sub colle sedebis,
Seu per pini serum forte uagare iugum.
Has precor ut noscas placida mihi fronte camenas,
Quæq; mea mitto scripta notata manu.
Et si forte aliquos Oeneia terra poetas
Diligit, & si quod prouenit inde decus.
Dum meus ad uestros labor est cursurus honores,
Me quoq; parte aliqua gaudeat esse suum.

Altera

S. L E M N I I.

Altera iam binis accessit messibus æstas,
Et sine me solus Rhetica uina bibis.
Dum colo Pierijs pulcherrima mœnia Musis,
Lentus arenosa qua fluit Albis aqua.
Expectare mei redditum Fruticane sodales,
Saxonicas esses si bibiturus aquas.
Sustineas dum tu non dum Fruticane redire,
Nec tamen ut uelles ipse uenire queam.
Ad te iam nostri pro me uenere libelli,
Quos tu me quantum forsan amabis ama.

AD HENRICVM ABBATEM ZINENSEM,

Maxime Saxonicas Abbas Henrice per oras,
Abbas albiaci candida fama soli.
Ægæona suis quondam pressisse lacertis
Crede suo tandem monstra marina uado.
Cærula tam uastos nunc ire per æquora pisces,
Iugera per centum nempe iacere putes.
Syluaq; mirando crescat longissima monstro,
Occupet & latae æquoris illud aquas.
Ecquid Delphino iam credis Ariona uectum,
Arte Methymnæam dum sonat ille lyram.
Pellere Neptunum madidas portenta per undas,
Et frcta Tritonem sollicitare tuba.
Quod Balenarum uideat fera prælia Nereus,
Et Thetis ignotas, & Galathea feras.

Vix

vix quadraginta iuncta trieteride messes
Prætereunt, tantam cum uidet unda feram.
Vnda sed immani commota per æquora monstro,
Arcet Liuonias hic ubi littus aquas,
Huc natat æquoreus sed magno corpore cœtus.
Linquitur hic fluctu, deseriturq; suo.
Occupat & tanto longissima littora cursu,
Quantum non cubiti bis potuere decem.
At quantum spatijs diffusum corpus habebat.
Vix cubitis posses bis numerare nouem.
Nam bis octo pedum caput hic tollebat in auras,
Quo tremuisse suis fertur & æquor aquis.
Mouerat & sævas malas in fauibus atris,
Quantas non credas quattuor esse bouni.
Maxima pendebant longo palcaria collo,
Magna uelut grandes ossa fuere trabes.
Pellis dura fuit duro uix obuia ferro,
Aspera nec squamis, nec fuit illa pilis.
Cærulco horrebant immania terga colore,
O quantum monstrum gutturis istud erat.
Nec se mirentur peregrina per æquora pisces,
Oceanus tantas dissimuletq; feras.
Quicquid habent Indi, lybicae&q; per æquora Syrites,
Quicquid & Oceanus, proxima donat aqua.

ERRATVM.

C. 2. facie. 2. uer. 3. lege, quam semper nolle uolebā.

EXCVSVM VITEBERGÆ
per Nicolau[m] Schirlenz, An. 1538.

115/19/5

ULB Halle
003 069 001

3



W.G.



